

tium reddi illi, qui dederat, nempe Monacho per simoniam recepto: ergo. R. Id specialiter statutum fuisse pro hoc casu particulari: 1. Quia ille Monachus bona fide, & inculpate pecuniam dederat, exacta enim ab eo fuerat prætextu consuetudinis, ut observat Covarrubias. 2. Quia ad aliud Monasterium transire compellebatur, & ideo debebat secum asportare pecuniam pro alimentis necessariis.

§. III. De aliis penis Simoniacorum.

Præter obligationem restituendi, de qua §§. præcedentibus, & quæ non tam est poena, quam effectus injustæ acquisitionis, varias alias poenas incurrunt simoniaci, ut suspensio, excommunicatio, &c. pro quo Suppono 1. ut certum, nullam simoniam inducere poenas Juris ipso facto, nisi sit commissæ in his tribus 1. in Ordinibus, sive majoribus, sive minoribus, sive susceptis, sive collatis. 2. in Beneficiis. 3. in ingressu, vel professione Religionis. Simoniacus in aliis, licet graviter peccet, & possit iisdem poenis puniri per sententiam Judicis, eas tamen ipso facto non incurrit; Ecclesia enim solum tres assignatos casus ipso facto poenis subicit: quia, ut jam dixi, frequentius accidunt, & sunt magis nocivi regimini Ecclesie. Ita communitur.

Suppono 2. ut probabilis, nullam simoniam inducere ipso facto poenas Juris, nisi sit realis completa: hoc est nisi ex pacto explicito, vel implicito sit datum spirituale ex una parte, & ex altera temporale, saltim quoad aliud; unde neque mentalis, neque conventionalis etiam mixta, seu ex una parte completa, eas inducunt. Ita Sylvius hic, Layman, Lessius, post Navarrum, Armillam, Binsfeld, Covarrubiam, Gomesium, & alios contra Cajetanum, Soto, Tolet, Garcias, Henno &c. qui contendunt, quod, quando res spiritualis est tradita, licet non tradito pretio, poenas incurrantur.

Verum, quamvis in rigore simonia purè conventionalis videatur incurere poenas Juris; quia ad substantiam contractus emptio, & venditionis sufficit conventio, seu consensus mutuus; tamen juxta stylum Curie Romanæ non incurrit, nisi utrinque sit completa, teste Navarro apud Lessium, & Layman. Et ratio esse potest; quia poenæ tam graves, & quæ ipso facto incurrantur, strictæ interpretationis esse debent, ita ut, dum feruntur in aliquo opus peccaminosum, intelligantur tantum de opere completo, nisi contrarium aperte exprimat. Confirmatur: simonia conventionalis, completa ex parte solius temporalis secundum omnes, & etiam ipsius adversarios, non incurrit de facto poenas Juris: ergo nec completa ex parte solius spiritualis; non enim est potior ratio pro uno, quam pro alio, nec magis perfecta est venditio, aut emptio per traditionem solius spiritualis, quam per traditionem solius temporalis.

P. Henno opponi 1. cap. 5. q. 3. ubi dicitur: *Quidquid ergo, vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data, vel promissa pecunia, acquisitum est, non irritum esse, & nullas unquam vires habere, censemus.* 2. in Extravag. 1. de simonia loquens Pontifex de suspensio ob simoniam ab Ordinibus, ait etiam comprehendit illum, qui sub promissione pecunie Ordines receperit. 3. cap. 2. de Confessis Extræ. spoliatur Canonicus Beneficio, eo quod electionem promissa pecunia, non tradita, vendiderat. 4. Toletus, & Garcias asserunt, talem esse stylum Curie Romanæ. R. Ad 1. omnem conventionem simoniacam, etiam incompletam, jure naturæ independentè a Jure positivo esse irritam; unde verum est Pontificis dictum etiam in nostra sententia. Ad 2. nihil tale legitur in Extravag. citata, ubi tantum agitur de simonia in ingressu Religionis. Ad 3. spoliatur Canonicus Beneficio non ipso facto, sed per definitivam sententiam Pontificis, ut ibi expressè dicitur. Ad 4. Toletus, & Garcias oppono Navarrum, Lessium, Sylviu, & alios, qui contrarium asserunt.

Notandum tamen, quod, si conventio simoniacæ ab initio incompleta postea compleatur, tunc incurrantur poenæ, imò retrahuntur ex fictione Juris ad tempus pactionis juxta stylum Curie Romanæ, ut docet Lessius post Navarrum. Probabile est tamen juxta eosdem, & Henriquez, hanc retractionem non habere locum pro foro conscientie, quia Canonæ id non statuunt, sed tantum pro foro externo. Nemo enim verè est excommunicatus coram Deo, nisi sit contumax; verè autem non est contumax, nisi cum fecerit illud, quod sub poena excommunicationis ei erat prohibendum.

Cæterum ab hac 2. suppositione excipitur simonia con-

fidentialis, quæ, licet non sit completa ex utraque parte, inducit tamen ipso facto excommunicationem, & alias poenas Juris, propter Bullam Pii IV. *Romanum Pontificem*, 1564. & Bullam Pii V. *Involuntabilis* 1580. Quapropter hoc ipso quo alteri confers, seu procuras, aut resignas Beneficium cum pacto explicito, vel implicito, ut illud idem, aut illius fructus, seu fructuum pars, tibi vel tuo nepoti, aut alteri conferatur, seu ex eo pensio solvatur (quod est simonia confidentialis) ipso facto omnes Juris poenas incurris.

Pontas v. *Simonie*, casu 7. docet, solos simoniacos per munus a manu incurere poenas Juris; non simoniacos per munus ab obsequio, & a lingua; & horum Beneficia non esse impetrabilia in foro exteriori: quantum autem ad forum interius penes Confessarium esse, ut justis de causis permittat eis retinere Beneficia. Verum, quibus fundamentis nititur hæc resolutio, non apparet: nullum profert laudatus Auctor, nec ullum hucusquè reperi in Jure, aut in aliquo alio Auctore. His præmissis,

Circà Ordines.

Dico 1. Conferens simoniacè Ordines, sive majores, sive minores 1. est excommunicatus; Extrav. *Cum detestabile de simonia*. 2. Est suspensus a cujusvis Ordinis etiam Tonsuræ, collatione, & ab executione omnium munerum Pontificalium, ut a consecratione Tempiorum, benedictione vestium sacrarum &c. Bulla *Sanctum, & salutare* Sixti V. data ann. 1588. 3. Est illi interdictus ingressus Ecclesie, ibidem. Penam excommunicationis innovat Concil. Trid. sess. 21. c. de Ref. Potat Lessius hic dub. 23. n. 194. Bullam Sixtinam non esse usu receptam.

Quidam hanc excommunicationem extendunt ad eos, qui pro prima tonsura, vel pro litteris dimissorialibus, aut testimonialibus, aut sigillo aliquid simoniacè accipiunt: quia Tridentinum loco cit. cum prohibuisset aliquid recipi etiam spontè oblatum pro collatione Ordinum, etiam Clericalis Tonsuræ, pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, pro sigillo, aliave causa, tandem subjicit: *Si contra fecerint, tam dantes, quam accipientes poenas a Jure inflictas incurrant.* Verum non infundat observat Lessius hic dub. 23. post Navarrum, quod Concilium non intendat novas poenas inducere (aliàs id expressis declarasset) sed solum renovare, quod illa verba *Penas Juris incurrant* referenda sint ad eos, in quos Jure statuta sunt, nempe ad conferentes, & recipientes Ordinem simoniacè. Aliud durum videtur, Episcopum, aut ejus Ministros excommunicari, quod aliquid acceperint spontè oblatum.

Dico 2. Suscipiens simoniacè aliquem Ordinem 1. est excommunicatus; Extravag. citata *Cum detestabile*. 2. Est suspensus ab executione Ordinum, & probabilis omnium ibidem. 3. Si in ea suspensione ministret, fit irregularis, utpotè violans censuram, & privatur ipso facto omnibus dignitatibus, Beneficiis, Officiis, & fit inhabilis ad omnia. Bulla Sixtina cit.

Circà Beneficia.

Dico 2. Simoniacè conferens, aut suscipiens Beneficium excommunicatur ipso facto. Extravag. cit. *Cum detestabile*. Et insuper suscipiens fit inhabilis ad illud possidendum. Extræ. cap. *Novis fuit tit. De Simonia*. Non tamen ad alia Beneficia, sive obtenta, sive obtinenda, nisi per sententiam Judicis id statuatur: nullum enim Jus hanc poenam de facto imponit. Profertur quidem Bulla S. Pii V. *Cum primum*, quæ est §. in Bullario, sed observat Layman hic §. 7. in fine post Suaresium, hanc Bullam secundum hanc sui partem non esse usu receptam. Debet tamen Simoniacus, priusquam obtineat aliud Beneficium, absolvi ab excommunicatione, saltim ad hunc effectum, ut fieri solet in provisionibus Pontificis, quia, ut docet Cabassius libr. 5. Theor. & Prax. c. 11. n. 8. Excommunicatio, aliave censura, atque irregularitas præcedens electionem, aut provisionem Beneficii facit eam invalidam, & irritam, licet collato jam Beneficio superveniens non inducat Beneficii vacationem.

Dico 3. Mediatoris in Simonia Ordinis, & Beneficii excommunicatur ipso facto. Extrav. cit. *Cum detestabile*.

Circà ingressum Religionis.

Dico: Personæ particulares simoniacæ in ingressu, vel professione Religionis, tam dantes, quam accipientes, excommunicantur ipso facto; & communitas, si in hac

simoniam consenserit, suspenditur, nimirum ab officio capitulari pertinet ad jurisdictionem, vel administrationem Ecclesiasticam. Extravag. *Sanctæ De Simonia*. Lessius hic dub. 23. n. 131. putat, hanc extravagantem non esse usu receptam; quod quidem

videtur verum quantum ad aliquid, nempe quantum ad Pastus & prædicationem, quæ solent fieri in ingressu & professione Religionis. Porro nota, has omnes censuras, huc usquè recensitas esse Pontificias.

TRACTATUS
DE CÆTERIS VIRTUTIBUS
JUSTITIÆ ANNEXIS, ET VITIIS OPPOSITIS.

D. Th. a Q. 101. ad 122.

Abolutis his, quæ spectant Religionem, superest, ut agamus de cæteris partibus potentialibus Justitiæ, quæ sunt Pietas, Observantia, Dulia, Obedientia, Gracitudo, Vindicatio, Veritas, Amicitia, Liberalitas, & Epicheia.

DISSERTATIO I.
DE PIETATE, OBSERVANTIA, ET DULIA.

D. Thom. QQ. 101. 102. 103.

ARTICULUS I.

De Pietate.

Dico 1. (Q. 101. a. 1. in a. s. c.) Pietas definitur ab August. libr. 83. *Quæstionum* q. 3. ex Cicrone: *Virtus, per quam sanguine junctis, Patriæque benevolentis officium & diligens tribuitur cultus.* Explicatur. (Ib. a.) Homo efficiatur diversimodè aliis debitor secundum eorum diversam excellentiam, & secundum diversa beneficia ab eis accepta: in utroque autem Deus summum obtinet locum, qui & excellentissimus est, & est nobis essendi & gubernationis primum principium. Secundario vero nostri esse & educationis principia sunt Parentes & Patria, a quibus & in qua nutriti sumus. Et ideo post Deum est homo maxime debitor Parentibus & Patrie. Unde, sicut exhibere debemus cultum Deo ut primo nostri esse & gubernationis principio, qui cultus dicitur Religio; ita debemus exhibere cultum Parentibus & Patrie ut secundariis principis nostri esse & educationis; qui cultus dicitur Pietas.

Quia tamen, (Ib. a. 1. ad 3.) quæ sunt creaturarum, per quamdam superexcellentiã transferuntur in Deum; ideo, sicut Deus est & dicitur superexcellenter Pater noster, quia longè excellentiori modo est principium essendi & gubernationis quam Pater & Patria; ita cultus Dei per excellentiam nominatur Pietas, omne opus bonum, quo Deus colitur, dicitur opus Pietatis, & qui exercent, dicuntur pii. Et hoc est usitatissimum etiam in ipsis Scripturis. Item, quia (Ib. a. 1. ad 2.) Deus præcipue laudat opera misericordie, quæ sibi præ Sacrificiis placere testatur, ideo vulgariter opera misericordie dicuntur opera Pietatis, misericordes dicuntur pii, & Deus ipse in nos misericors dicitur pius Pater.

Porro (Ib. a.) in cultu Parentum includitur cultus omnium consanguineorum; non quod sint nobis essendi principium, sed quia in ipsis Parentum sanguis existit, eosque ideo representant. Et in cultu Patrie includitur cultus civium & omnium Patrie amicorum; quia in ipsis ut in nobis favorem & auxilium Patrie conspicimus, & ideo illam nobis representant. Itaque objectum Quod Pietatis est cultus & obsequium, ad quæ ordinatur; objectum Cui sunt Parentes & Patria: Objectum Formale sub quo est debitum ratione principii ortus nostri. Hoc debitum maxime respectu Parentum dicitur communitur non posse reddi ad æqualitatem: quod intelligitur in eodem rerum ordine & obsequiis ordinariis; nihil enim ventur in alio rerum ordine, & obsequiis extraordinariis, quin beneficium a Parentibus & Patria acceptum adequetur, imò & vincatur, ut si Filius eripiat Patrem a morte instanti, aut ipsum convertat ad veram fidem. Imò debitum Patrie non videtur tanti momenti, cum videamus summos viros, quibus omne solum est Patria hunc vulgarem Patrie affectum, licet alias non contemnendum, non magnificere.

Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

Dico 2. (Ib. a. 3.) Pietas est virtus specialis. Colligitur ex dictis; quia nempe habet speciale objectum, scilicet cultum & obsequium, Parentibus & Patrie debitum, quatenus secundarium principium ortus nostri. Ubi autem est specialis ratio debiti, ibi est specialis pars Justitiæ ab aliis distincta. Nec observat, (Ib. a. 3.) Justitiã legalem etiam respicere Patriam; id enim fit sub diversa ratione: Pietas respicit Patriam secundum quod est quoddam essendi principium, & Justitiã legalem secundum quod est bonum commune.

Dico 3. (Ib. a. 2. o.) Ultra cultum & obsequium, quæ per se debentur Parentibus ut Parentibus, debentur alia per accidens, scilicet subventio in necessitatibus v. gr. ut visitentur, si sint incurati; curentur, si sint infirmi; sustententur, si indigeant; (Ib. ad 1.) quæ omnia sub debito obsequio continentur; & in quarto Decalogi præcepto, quod pertinet ad Pietatem, *Per honorationem Parentum* intelliguntur, ut ipse Christus interpretatur Matth. 15. Quamvis autem (Ib. ad 5.) hæc obsequia debeantur ex Pietate omnibus sanguine junctis & Patrie benevolentis, non tamen equaliter omnibus, sed præcipue Parentibus; aliis autem secundum propriam facultatem & decentiam personarum, ut specialius dicam infra.

ARTICULUS II.

Utrum occasione Religionis sint præmittenda Pietatis Officia.

Dico (Ib. a. 4. o.) contingere non posse, ut occasione Religionis præmittenda sint veræ Pietatis Officia. Quia (Ib.) Religio & Pietas sunt duæ Virtutes. Nulla autem virtus alii virtuti contrariatur, aut repugnat; sed si quid virtuti contrariatur, jam desinit esse actus virtutis, & fit malus. Unde non potest esse, quod Pietas & Religio mutuo se impediant, ut propter actum unius actus alterius excludatur. Quapropter, (Ib.) si quoddam opus, quod videtur Pietatis, puta quoddam officium in Parentes, contrariatur Religioni, ita quod nos retrahat a cultu Dei debito, non erit verè Pietatis opus; quia non fiet cum circumstantia debiti modi; non est enim debitus modus, quod homo plus tendat ad colendum Patrem, quam ad colendum Deum, cum debeat homo parentes præ Deo odisse, hoc est minus amare. Matth. 10. & Luc. 14.

Dixi: *Si nos retrahat a cultu Dei debito*: quia, si cultus Dei sit liber, debet præmitti, & obsequium reddi Parentibus necessitate patientibus. Similiter, si sit tantum debitus ex Lege Ecclesiastica, ut si concurrat obligatio audiendi Sacrum & succurrendi Patri periclitanti, omisso Sacro, succurrendum est Patri; quia præstat obligatio Juris naturalis, quam humani.

Ex his colliges 1. (Ib. ad 4. item q. 189. a. 6. o. & quodl. 5. a. 16. o.) quod, qui adhuc est in sæculo constitutus, si habeat Parentes, qui sine ipso commodè sustentari non possunt, non debet eis relictis Religionem ingredi; quia

transgredereceptum de honoratione Parentum, nisi forte ipse sine urgente salutis periculo in seculo remanere non possit. Dixi: *Qui sine ipso commodè sustentari non possunt*, ut indicarem non solum extremam, sed etiam gravem necessitatem Parentum impedire filium ingredi Religionem. Licet enim S. Th. hic & quodl. cit. non exprimat gravem, sed videatur tantum loqui de necessitate absoluta, tamē q. 189. citata clarè exprimit gravem, dum sicuti nos utitur termino *commodè*.

2. Si verò (*Ibid.*) Parentes sine filio non admodum ægè vitam transigere possint, licitum esset ei decessis Parentibus Religionem intrare; quia filii non tenentur ad sustentationem Parentum nisi in casu necessitatis, ut dictum est. Unde Dominus Matth. 8. & Luc. 9. reprehendit Discipulum, qui volebat eum statim sequi intuitu paternæ sepulture, quia erant alii, per quos illud opus impleri poterat, ut ait Chrysostomus in hunc locum Matth.

3. Si, non obstanti gravi necessitate Parentum, filius ingrediatur Religionem & profiteatur, valebit quidem professio, sed suspensa manente ejus executione tenebitur egredi, si aliter Parenti non possit subvenire; quia ingredi non poterat, obligatione subveniendi jam contracta. Ita post Navarr. & alios Sylvius hic. 4. Sed, si post Professionem filii (*Hic ib. & quodl. cit.*) Pater incidat in dictam gravem necessitatem, & non extremam, quamvis filius possit egredi consentiente Prælo, ut Patri subveniat, non tenetur tamē, nec etiam potest, Prælo repugnante: quia, qui est in Religione professus statu mutato nec amplius sub Patris posestate, sed sub Prælo existens, reputatur quasi mortuus mundo. Unde per hanc spirituales mortem deobligatur a cura impendenda Parentibus, sicut etiam deobligatur per mortem temporalem. Tenetur tamē, salva sui Prælii obedientia & suæ Religionis statu, pium studium adhibere, ut ejus parentibus subveniat. Per quæ ultima S. Th. verba patet, eum non ponere omnimodam paritatem quoad hunc casum inter mortuos corporaliter, & Religiosos mortuos spiritualiter; sed vellemus duntaxat Religiosum professum non teneri subvenire Parentibus etiam in gravi necessitate, nisi quatenus fieri potest salva obedientia & regulari observantia, quam professus est. Ita post S. Th. Cajet. hic, Sylvester v. Religio. 2. Sylvius hic, & alii.

Dixi: *gravem & extremam necessitatem*; quia, si esset extrema, aut quasi extrema, sic ut probabile non esset posse subveniri Parentibus aliter quam per egressum filii, probabilis est, quod posset & tenetur egredi, petita, licet non obtenta, licentia Prælati. Quia tunc maximè urget præceptum de honorandis Parentibus, a quo utpotè naturali & divino nemo per votum eximitur. Imò non censetur emissum votum nisi sub hac conditione, *Salvo Lege nature*: unde etiam extraneo in pari necessitate constituto id præstari deberet, quantum magis Parentibus S. Th. autem non meminit hujus extremæ, aut quasi extremæ necessitatis (intelligendus est enim superius de gravi, & quæ sit infra extremam) quia extrema necessitas rara est, & in ea non solum Parentibus, sed etiam extraneis, ut dixi, quilibet etiam ipse Prælati tenetur succurrere.

ARTICULUS III.

De Observantia.

Observare est aliquid anxie speculari, seu notare. Unde veneratio, qua colimus eos, qui sunt in aliqua dignitate, dicitur Observantia, eo quod eos veluti contemplantur tum reverendo, cum considerando, tum nostro indigeant obsequio, vel quid nobis imperatum velint.

Dico (Q. 102. a. 2. in a. s. c.) Observantia definitur ab August. libr. 83. questionum q. 31. ex Cicerone: *Virtus, per quam homines aliqua dignitate antecellentem quodam cultu & honore dignantur*. Explicatur: Dicitur, *aliqua dignitate antecellentem*, per quod intelliguntur Superiores, qui nos gubernant. Sicut enim pietas debet cultum parentibus, qui sunt auctores vitæ nostræ, id observantia Superioribus, quia sunt auctores gubernationis nostræ. Etenim gubernare (*Ibid. a. 2. o.*) est movere aliquis in debitum finem, sicut nauta gubernat noyem ducendo eam in portum. Omne autem movens habet excellentiam quamdam & virtutem supra id, quod movetur. Unde in Superiore duo consideranda sunt. 1. Excellentia status cum quadam potestate in subditos. 2. Ipsam gubernationis officium. Ratione excellentiæ debetur ei honor, qui est testimonium excellentiæ alicujus. Ratione officii gubernationis debetur ei cultus, qui consistit in quadam obsequio,

dum scilicet aliquis eorum obedit imperio, & vicem pro beneficiis eorum suo modo repperit. Et quia (*Ibid. art. 1. ad 2.*) qui excellent scientia & virtute, & aliis egregiis dotibus, licet non gubernent actu, sunt tamē idonei ad gubernandum; debetur etiam ipsis honor, qui reductivè pertinet ad observantiam. His verò, qui quidem (*Ibid. 2. ad 2.*) sunt in dignitate constituti, tamē super nos prælationem non habentes, sed super alios, debemus etiam honorem, sed diversimodè: nostris quidem Superioribus debemus debito legali, ad quod scilicet reddendum homo lege compellitur; illis verò, qui nobis non sunt Superiores, debemus debito morali, hoc est, ex quadam honestate.

Ex dictis (*Ibid. art. 1. o.*) colliges 1. observantiam esse virtutem distinctam a Pietate, quia habet distinctum objectum. Pietas enim debet cultum debitum alicui ut principio ortus: Observantia verò debitum ut principio gubernationis; quæ debita, cum sint diversæ rationis, sicut beneficia, quæ inde oriuntur, constituunt diversa formaliter objecta, Colliges 2. (*Ibid. art. 4. o.*) pietatem præminere observantiæ, in quantum reddit cultum personis magis conjunctis, & quibus magis obligatur.

Si dicas, nos magis obligari erga Principem, quam erga patrem; sic ut, si uterque foret in necessitate constitutus, præferendus esset Princeps patri. R. id deberi Principi, non præcisè ut me gubernat, qua tamē ratione illi debet observantiam, sed quatenus gubernat Patriam & bono communi est necessarius, qua ratione debetur illi officium pietatis, aut justitiæ legalis.

ARTICULUS IV.

De Dulia.

Dux sunt partes Observantiæ, dulia scilicet & obedientia. Dulia (Q. 103. art. 4. o.) potest accipi dupliciter; uno modo latè & communiter secundum quod exhibet reverentiam cuicumque homini, ratione cujuscumque excellentiæ, & sic continet sub se tamquam species pietatem & observantiam, & alias varias hujusmodi virtutes; quæ homini reverentiam exhibent: alia enim & alia ratione honoratur Rex a subditis, Pater a filiis, Dux a militibus, Magister a discipulis, &c. Alio modo potest sumi strictè dulia, proit secundum eam servus exhibet reverentiam domino; nam Dulia græcè dicitur latine *Servitium*.

Dico (*Ibid. a. 3. o.*) Dulia, strictè sumpta, quæ honorem & debitam servitutem exhibet homini dominantis, alia est virtus a Latria, quæ exhibet virtutem divino Domino; hæc pertinet ad Religionem, illa ad observantiam. Prob. (*Ibid.*) Ubi est relatio debiti, ibi necesse est, quod sit alia virtus, quæ debitum reddat; atqui alia ratione debetur servitus Domino & homini; sicut alia ratione dominium competit Deo & homini: ergo. Prob. Min. Deus plenus & principale dominium habet respectu totius & cujuslibet creature, quæ totaliter subicitur ejus potestati; homo autem participat quandam similitudinem dominii divini, secundum quod habet particularem potestatem super aliquem hominem, vel super aliquam creaturam: ergo. Cæterum adverte, (quod jam notavi, dum de Religione) has voces græcas, *Latria* & *Dulia*, idem omnino significare, nempe servitutem. Sed quia in utraque lingua tam græca quam latina non habetur vocabulum, quod propriè significet cultum Deo convenientem, usu Ecclesiæ receptum est, ut latria significet cultum Dei, & dulia cultum creaturarum maximè Beatorum in Patria. Quamvis enim non simus eorum servi servitute rigorosa, vili, & abjecta, ut mancipia; attamē propter eorum excellentiam debemus illos æstimare & revereri tamquam nostros dominos, eisque profiteri honorariam subjectionem, qualis est illa, de qua Apostolus ad Galat. 5. *Per charitatem servite invicem*.

Dico 2. (*Ibid. a. 2. o.*) Honor, qui per duliam, sive latè, sive strictè sumptam, exhibetur, coram Deo potest consistere in solo interiori motu cordis; coram hominibus autem consistit in signis exterioribus. Quia (*Ibid.*) honor nihil est aliud, quam testimonium de excellentia alicujus: unde homines, qui volunt honorari, requirunt testimonium suæ excellentiæ; atqui excellentiam, sive Dei, sive alterius possumus sola cogitatione & interiori actu animi testari & venerari coram Deo, qui est inspector cordium, secus quoad homines, qui nec vident occulta cordium, nec eis quicquam declarare possumus nisi per signa sensibilia: ergo. Hæc autem signa (*Ibid.*) sunt triplicis generis. 1. Verba honorifica. 2. Actiones honorificæ, ut inclinationes, obviations, & alia hujusmodi. 3. Rex exterior,

res, puta, munus oblatio, imaginum institutio, collatio dignitatum, quæ ideo per tropum solent appellari honores.

Hinc colliges 1. (*Ibid. ad 1.*) Reverentiam non esse idem quod honor, nam reverentia est una parte est causa honoris, in quantum scilicet aliquis ex reverentia, quam habet ad aliquem, movetur ad eum honorandum. Ex altera parte est finis honoris, in quantum aliquis honoratur ad hoc, ut in reverentia habeatur ab aliis.

Colliges 2. (*Ibid. a. 2. o.*) Honorem non deberi nisi Su-

perioribus, non quidem solis Superioribus jurisdictione, aut gubernatione, sed omnibus qui in aliqua bona qualitate sunt Superiores, seu excellentes: honor enim est testimonium excellentiæ alicujus, ut dictum est. Id tamē sic intellige, non quasi, qui honoratur, debeat esse excellentior honorante, sed vel quibusdam aliis, vel etiam ipso honorante quoad aliquid, etsi non simpliciter. Et sic patet, quomodo æquales ab æqualibus, & inferiores a Superioribus possint honorari. De his jam dixi, dum de detractone & contumelia.

DISSERTATIO II.

DE OBEDIENTIA, ET INOBEDIENTIA.

Div. Thom. QQ. 104. 105.

ARTICULUS I.

Quid sit Obedientia.

Dico 1. (Q. 104. a. 1. ad 1.) Obedientia est virtus, per quam aliquis sui Superioris præcepto obtemperat, ex intentione satisfaciendi ejus præcepto. Dicitur, *ex intentione satisfaciendi ejus præcepto*, ut distinguatur ab obedientia materiali, & latè sumpta (*Ibid.*) Duplex enim distingui debet obedientia. Una materialiter & latè sumpta pro executione cujuslibet actus virtutis præcepti. Altera, quam hic definimus, formaliter & strictè sumpta pro executione actus boni præcepti, quia præceptus est. Obedientia materialis est quadam generalis virtus, ut potius circumstantia cujuslibet actus boni præcepti; & inobedientia sic etiam materialiter sumpta generale peccatum, seu circumstantia generalis cujusvis peccati. Obedientia autem formalis est specialis virtus, & inobedientia formalis speciale peccatum. Unde

Dico 2. (*Ibid. o.*) Obedientia formalis est specialis virtus ab aliis distincta: quia habet speciale objectum, nempe præceptum Superioris formaliter quæ præceptum. Cum enim inferiores suis Superioribus multa debeant exhibere, inter cætera hoc est unum speciale, quod teneantur eorum præceptis obedire: unde ex præcepto opus fit debitum & necessarium factu, ne violenter auctoritas Superioris.

Dices: Neque Religiosus Prælo, neque filius Patri, neque servus domino dicitur perfectè obediens, qui expectat præceptum, & absquè eo nihil vult facere: ergo objectum formale obedientiæ non est præceptum. Unde S. Th. hic art. 2. o. dicit: *Tamè videtur obedientia promptior, quod expressum præceptum obediendo præveniit, voluntate Superioris intellecta*. R. D. Ant. non dicitur perfectè obediens obedientia strictè & Theologicè sumpta, N. obedientia generatim & vulgò dicta, C. Ant. & N. Consequ. Hæc autem vulgò dicta obedientia est quadam virtus, quæ quis voluntati Superioris morem gerit, sive præcipiat, sive non. Hoc enim per se peculiarem honestatem habet, conductique maximè ad bonam & suavem gubernationem, potestque imperari ab aliis virtutibus; si enim id faciat subditus ex reverentia in Deum, cujus Superior vices gerit, erit Religiosis; si ex reverentia in ipsum Prælatum, erit actus observantiæ. Ad D. Th. non est, quod de ejus mente dubitemus, cum nostra conclusio & ejus probatio sint ex ipso ibidem iisdem ferè terminis. Nec verba, quæ obijciuntur, contraria sunt. Qui enim voluntate Superioris intellecta prævenit obediendo expressum ejus mandatum, vel voluntate Superioris intelligit verum præceptum, licet tacitum tantum; etenim dicit S. Th. immediatè antè objecta verba, *Voluntas Superioris quocumque modo innoscatur* (scilicet ut præcipiens) est quadam tacitum præceptum: vel intelligit solum desiderium absquè voluntate præcipiendi, & obligandi. 1. Modo indubie est promptior, vera, & propriè dicta obedientia, quam si expectaret expressum præceptum; quia ibi est verum præceptum, licet tacitum. 2. Modo est etiam promptior, non quidem in actu formalis & strictè obedientiæ, sed in preparatione animi; qui enim absquè ullo præcepto voluntati Superioris morem gerit, ostendit voluntatem promptissimam & paratissimam illi obedire, si præcipiat. Posset etiam intelligi de obedientia vulgò dicta, ut supra.

Dico 3. (*Hic q. 81. a. 6. o.*) Si obedientia consideretur essentialiter ex parte objecti, est inferior Religione; quia Religio magis de propinquo accedit ad Deum, quam obe-

dientia, in quantum Religio operatur ea, quæ directè & immediatè ordinantur ad honorem divinum. Si verò (*Hic q. 104. art. 3. o.*) consideretur obedientia accidentaliter ex parte ejus, quod contemnit, ut inhæreat Deo, est maxima inter virtutes morales; quia majus bonum contemnit scilicet voluntatem propriam, quam cæteræ virtutes morales, quæ contemnuunt tantum bona externa. Dixi: *inter virtutes morales*; (*Ibid.*) quia certum est, virtutes Theologicas, quibus Deo secundum se & immediatè inhæremus, præcellere absolute obedientiæ, & aliis virtutibus moralibus.

Si opponas contrà 1. Partem illud vulgare r. Reg. 25. *Melior est obedientia, quam victima*, id est, quam sacrificium, quod est actus Religionis: R. (*Ibid. ad 1.*) Sensum Scripturæ esse, quod melior sit obedientia, quam offerre victimam sine, seu contrà obedientiam: loquitur enim ibi Samuel de Saule, cui melius fuisset obedire Deo, quam pinguis animalia Amalecitarum in sacrificium offerre contra Dei mandatum.

Adde, (*Ibid.*) obedientiam, quæ Deo præstatur ex reverentia ejus, esse meliorem nudo actu Religionis; quia talis obedientia involvit etiam Religionem.

Petes utrum omnis obedientia sit ejusdem rationis, seu speciei? Anterresponsum nota, diversas esse potestates imperandi, quas respicit obedientia: alia est divina, alia humana: hæc, alia ecclesiastica, alia politica, seu civilis, sub qua intellige domesticam. Fundatur potestas divina in ratione causæ & effectus, quia causa naturaliter debet potestatem in effectum, & cum Deus sit omnium causa, ita est omnium dominus. Ab hac divina potestate derivantur omnes humane potestates, sed diversimodè. Potestas humana spiritualis, seu Ecclesiastica derivatur a Deo per positivam ordinationem, quatenus potestas divina communicatur humanitati Christi, cui *Data est omnis potestas in Cælo & in Terra* Matth. 28. a Christo descendit in SS. Pontificem ut ab Ordinario in vicarium; ab isto in omnes Rectores Ecclesiasticos. Potestas humana civilis, seu politica derivatur a Deo per naturalem rerum institutionem: hoc ipso enim quo Deus condidit singulos homines sui juris, eisque indidit naturalem inclinationem ad vitam sociale & politicam, censetur dedisse communitati, quæ ex singulis junctis exurgit, potestatem se & singulos regendi; naturaliter enim ex potestate partium in unum totum coeuntium resultat potestas totius, cui partes naturaliter subsunt, & a quo naturaliter reguntur; a tota verò communitate derivatur potestas per commissionem in Reges & Principes, & ab his ad officiales inferiores. Similiter hoc ipso quo Deus instituit conjugium maris & feminae & procreationem liberorum, censetur concessisse potestatem Parentibus in liberos; quia, ut dixi, naturaliter causa habet potestatem in effectus; & etiam marito in uxorem, quia naturale est agenti movere patiens, & causæ principali instrumentum: in conjugio autem vir se habet ad instar agentis & causæ principalis. Quantum ad potestatem herilem, est à Deo mediante auctoritate Reipublicæ; quæ servitus, seu herilis potestas est instituta. His notatis, quæ pro diversis materiis scitu necessaria duximus, ad questionem R. affirmativè. (*Art. 2. ad 4. & a. 3. ad 1.*) Ratio est; quia obedientia non respicit auctoritatem præcipiens in ejus commodum & honorem, neque ut est tanta, vel tanta, sicut reverentia respicit excellentiam, propter quod diversificatur secundum diversitatem excellentiæ, sed respicit præcisè auctoritatem præ-

ipientis ut habentem sufficienter potestatem precipiendi & obligandi; qualicumque sit illa potestas. Nihil impedit tamen (Art. 2. ad 1. & a. 3. ad 1.), quia diversarum virtutum actus in unum & eundem actum obedientie concurrant; ut si jejunes in Quadragesima, ut satisfacias præcepto, erit actus obedientie; si hanc obedientiam præstes ex reverentia erga Prælatos, erit actus observantiae; si ex reverentia Dei, erit actus Religionis; si ad refringendas concupiscentias, erit temperantiae; si ut sis aptior ad servendum Deo, erit iterum Religionis.

Utrum verò possit dari actus obedientie, qui non sit simul actus alterius virtutis? (Art. 2. ad 1.) R. Affirmative: ut si præcipiat aliquid, quod ex se sit indifferens, aut prohibeat aliquid, quod non sit ex se malum, præcisè ad probandum obedientiam subditi. Si querat, ad quod vitium pertinebit transgressio talis præcepti, supposito quòd non fiat ex contemptu (tunc enim foret inobedientia formalis) R. Fore actum inobedientie generalis. Patet ex 1. conclusione.

ARTICULUS II.

Utrum in omnibus sit obediendum?

Dico: (Hic a. 4. & 5. o.) Obediendum est Deo in omnibus; homini verò superiori obediendum quidem, non tamen in omnibus. Prob. 1. pars, tum quia Deus est omnium dominus & quoad omnia; nec quidquam illicitum potest jubere. (Art. 4. o.) Tum quia, sicut Deus est primus motor omnium, quæ naturaliter moventur, ita etiam est primus motor omnium voluntatum: ergo, sicut naturali necessitate omnia naturalia subduntur divinæ motioni, ita etiam quadam necessitate justitiæ omnes voluntates tenentur obedire divino imperio.

Secunda pars prob. 1. Ex variis Scripturæ locis. Gen. 3. & ad Eph. 5. Deus jubet uxorem obedire marito: Exod. 20. & ad Ephes. 6. filios Parentibus: ad Cor. 3. Servos domino, & generaliter unumquemque suo superiori. Ad Rom. 13. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. 1. Petri 2. Subjecti estote omni humane creature propter Deum: sive Regi quasi præcellentis sive Ducibus, tamquam ab eo missis. Ad Hebr. 13. Obediite præpositis vestris. & subjacete eis: & alibi Prob. 2. (Art. 1. o.) Quia, sicut ex ipso ordine naturali divinitus instituto inferiora in rebus naturalibus necesse habent subijci motioni superiorum, ita similiter in humanis, ubi superiores movent inferiores per rationem & voluntatem; movere autem per rationem & voluntatem est imperare. Ex his sequitur, (Art. 6. o.) etiam Fideles Christianos teneri obedire secularibus potestatibus, quamvis infidelibus; quia Fides Christi, quæ est principium justitiæ, non tollit ordinem justitiæ a Deo institutum, secundum quem ad conservationem status rerum humanarum inferiores subijciuntur superioribus.

Tertia pars Conclusionis patet: (Art. 5. o.) Quia excipiuntur duo casus, in quibus homo non tenetur obedire homini superiori. Si aliquid præcipiat contra mandatum majoris superioris. 2. Si præcipiat id, ad quod non se extendit ejus potestas. Quia (Ibid.) sicut potest contingere dupliciter, quòd aliqua res naturalis non moveatur a suo motore, uno modo propter impedimentum, quod provenit ex fortiori virtute alterius non moventis, alio modo ex defectu ordinis mobilis ad motorem; ita similiter ex duobus potest contingere, quòd subditus suo Superiori non tenetur in omnibus obedire, uno propter præceptum majoris potestatis: unde Aug. serm. 6. de Verbis Dom. Si quid jussertu Curator, numquid est tibi faciendum, si contra Proculensem jubeat? Roridus: Si quid Praconsul jubeat, & aliud Imperator, numquid dubitatur, illo contempto, illi esse servendum? ergo, si aliud Imperator, aliud Deus jubeat, contempto illo, obtemperandum est Deo. Adverte tamen non esse subditi examinare, si sit licitum, vel illicitum id, quid præcipit Superior, tenerique ipsi obedire, nisi constet aperte esse contra Dei, aut Superioris potestatis mandatum. Neque etiam si dubitet, an sit licitum, dispensatur ab obedientia; quia Superior habet jus precipiendi & exigendi obedientiam, quo spoliari non debet propter dubitationem subditi. Debet ergo subditus deponere dubium, & sibi persuadere se posse & teneri in tali casu obedire, juxta illud S. Bernardi de Præcepto & Dispens. c. 12. Quidquid voce Dei præcipit homo, quod non sit certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est quam si præcipiat Deus.

Alio modo (Ib.) non tenetur inferior suo Superiori obedire, si ei aliquid præcipiat, in quo ei non subdatur. Non subditur autem homo homini in his, quæ pertinent ad interioriorem motum voluntatis, de quo fusiùs, dum de Legibus: neque in his quæ ad naturam corporis pertinent, quia omnes homines natura sunt pares, non hoc sensu quòd attenda sola natura nulla foret hominum inæqualitas, sed hoc sensu quòd quantum ad ea, quæ spectant naturam, hoc est, corporis sustentationem & proles generationem, omnes homines sint æquales, sic ut nullus in eis habeat potestatem super alium, nec ullus alteri obedire teneatur per se loquendo, & secludendo vinculum vel voti, vel aliud, quo quis se obstrinxerit. Unde regulariter neque servi dominis, neque filii Parentibus tenentur obedire de matrimonio contrahendo, de Religione profitenda, de virginitate servanda, aut aliquo alio hujusmodi, de quo fusiùs modò. In his ergo solum (Ib.) tenentur subditi suo Superiori obedire, quæ pertinent ad dispositionem actuum & rerum humanarum; neque adhuc in his generaliter, sed determinatè secundum rationem Superioritatis, sicut v. gr. miles Duci Exercitus in his, quæ pertinent ad bellum; servus domino in his, quæ pertinent ad servilia opera exequenda; filius Patri in his, quæ pertinent ad disciplinam vite, & curam domesticam.

Dices 1. Apost. ad Coloss. 3. dicit: Filii obedite Parentibus per omnia. Et postea: Servi obedite per omnia Dominis carnalibus: ergo. R. (Ib. ad 1.) Verba Apostoli intelligenda esse de omnibus, quæ pertinent ad jus Patriæ, vel dominativæ potestatis.

Dices 2. Ecclesia præcipit jejunia, quæ corporis conservationem spectant: ergo. R. Jejuniis, quale præcipit Ecclesia aut Religio, non impedit conservationem corporis, cum non prohibeat alimentationem, sed tantum de ejus modo & ordine disponat; quod non excedit potestatis ejus limites.

Dices 3. Sicut Religiosi profitendo vovent castitatem & paupertatem, ita & obedientiam; atqui tenentur quantum ad omnia servare castitatem & paupertatem: ergo similiter quantum ad omnia tenentur obedire. R. D. Maj. (Ib. ad 3. & quodlib. 10. ad 1.) Sicut, &c. ita profitentur obedientiam quantum ad omnia, N. Quantum ad regularem conversationem, secundum quam suis Prælatis subduntur, C. Disparitas est ergo quòd votum continentie & paupertatis respiciat speciale genus actus, sed votum obedientie respicit generaliter omnes actus; unde nisi determinaretur ejus generalitas, esset Religio confusio, quia ad idem omnes tenerentur.

Et ideo (Ib.) ad illa sola obedire tenentur Religiosi, quæ possunt ad suam regularem conversationem pertinere. Et hæc est obedientia sufficiens ad salutem. Si autem in aliis etiam obedire voluerint, hoc pertinebit ad cumulum perfectionis, dum tamen illa non sint contra Deum, aut contra professionem regulæ; quia talis obedientia esset illicita. Unde potest triplex obedientia distingui: una sufficiens ad salutem, quæ scilicet obedit in his, ad quæ obligatur: altera perfecta, quæ obedit in omnibus licitis: alia indiscreta, quæ etiam in illicitis obedit.

Petes, utrum Moniales, etiam illæ, quæ non voventur explicitè clausuram, & in quarum Monasteriis nunquam fuit serrata, possint à suis Superioribus compelli ad illam, exque peccent mortaliter, si obedire recusent? R. affirmative: quia, licet forte clausura non contineatur explicitè in Regula, nec ad illam directè pertinet, continetur tamen implicitè, & ad illam indirectè pertinet, quatenus, ut experientia compertum est, aliquo modo est necessaria, ut saltem maxime conveniens ad observantiam voti castitatis in Monialibus. (Ib. quodlib. cit.) Atqui, qui vovet explicitè aliquam Religionem, vel Regulam, vovet implicitè ea, quæ ad illam reducuntur, ut sunt illa, quæ vel necessaria, vel valde utilia sunt ejus observationi. Unde, ut præveniantur obiectio, non coguntur tales Moniales ad amplius, quam promiserint saltem implicitè.

Confirm. Bonif. VIII. cap. Periculoso. De statu Relig. in 6. l. 3. tit. 16. Pius V. Bulla Circæ Pastoralis, & Greg. XIII. Bulla Deo sacris, strictè præcipiunt, ut omnes omnino Moniales, etiam illæ, de quibus est questio, ad perpetuam clausuram compellantur. Nemo autem dicit, hos SS. Pontifices præcipere id, ad quod eorum potestas se non extendit. De hoc casu latè disserit Sylvius hic; cui tamen non assentior quoad omnia. Videtur enim docere, quòd etiam si dictæ Moniales expressè intenderint in sua professione non se obligare ad clausuram, atque sub ista expressa conditione & restrictione interna vota emisissent, pos-

possint nihilominus ad eam cogi, & peccare mortaliter, si renuant. Huic, inquam, assertioni simpliciter, & indistinctè non assentior, si quidem certum sit totam obligationem voti ad intentionem voventis pendere. Id autem dici non potest, nec etiam implicitè intantum, seu volutum, quòd est explicitè, & formaliter intantum.

Si dicas cum laud. Auctore, id saltem eas debuisse intendere. Esto; sed non intenderunt, imò expressè exclusèrunt; unde sequitur quidem, quòd debuisset esse talis obligatio, non autem quòd reipsa sit. Quapropter, tametsi supponeres, vota Religionis in Monialibus ex natura sua, & necessario absolute exigere clausuram (quod tamen est falsum), mallem dicere in hac hypothesi hæc eorum vota esse nulla, quàm eas obligari ad id, ad quod positive, & formaliter noluerunt se obligare: sicut v. gr. qui voveret paupertatem sub expressa conditione interna, quòd liberum usum suorum rerum nolle abdicare, votum ejus esset nullum, nec eo teneretur.

Quia tamen non admittitur exterioris professione religiosa sub hac, aut simili conditione, ideo in foro exteriori præsumitur absoluta: unde non est mirum, quòd SS. Pontifices clausuram omnibus omnino Monialibus indistinctè injungendam mandaverint, quippe quæ ex dicta præsumptione, quòd eorum professio sit absoluta, ad eam compelli possunt in foro exteriori; & si ex resistentia oriantur scandalum, ad illud vitandum tenentur obedire. Confer, quæ dixi supra de obligatione voti.

ARTICULUS III.

Utrum filii, & filiazfamilias ita sint liberi in statu eligendo, ut nullatenus quantum ad hoc pendeant à voluntate parentum?

Dico 1. (Art. 5. o.) Filii, & filiazfamilias per se loquendo sunt omnino liberi in eligendo statu, sive Religionis, sive Ordinis sacri, sive Calibatus, sive Matrimonii (saltem in communi quoad Matrimonium) sic ut quantum ad hoc nullatenus pendeant à voluntate parentum, nec peccent, si ita nolentibus eligant, aut ita volentibus non eligant. est communis cum D. Thom. & patet 1. ex dictis in 3. parte conclusionis præcedenti articuli. 2. (Suppl. q. 47. a. 6. o.) Quia in matrimonio, & aliis status assignatis est servitus quadam perpetua, ad quam parentes cogere non possunt filios, aut filias, cum sint liberæ conditionis. Neque dicas, secundum Jura antiqua patrem posse vendere filium in servitium. Disparitas est 1. quòd servitus non exigat amorem, sicut exigit matrimonium maxime, & etiam alii status, ut eorum obligationibus alacriter, & expedite satisfiat. 2. Quia servitus non est perpetua, cum servus possit se redimere, secus in aliis statusibus.

Dico 2. Quantum ad matrimonium in particulari cum tali persona non possunt etiam parentes cogere filios, aut filias; neque isti tenentur obedire, propter rationes jam datas: (Ib.) possunt tamen parentes filios, aut filias inducere ex rationabili causa. Et tunc, sicut se habet filius ad illam causam, ita se habet ad præceptum patris, ut scilicet si causa illa cogat de necessitate, vel honestate, præceptum patris similiter cogat. Puta, si pater jubet filio ducere talem puellam, quia vel eam dehoravit, vel tale matrimonium est necessarium ad sedandas inveteratas inimicitias, aut ad sustentandam inopiam patris, &c. Puto tamen, filium in hoc casa debere acquiescere, non tam vi præcepti obedientie, cum juxta S. Thom. quoad statum pater non sit superior filii, quàm vi præcepti pietatis, ex qua filius in talibus circumstantiis tenetur acquiescere voluntati patris, facturus alioquin illi magnam injuriam in re gravi.

Dico 3. Similiter possunt parentes justis de causis impedire matrimonium filii, aut filie cum tali persona, sic ut peccet mortaliter filius, aut filia, si inconsultis, aut rationabiliter invitatis parentibus tale matrimonium contrahant. Quia, cum parentes teneantur prospicere filiis in omnibus, præcipue in eligendo statu, & in iis, quæ oneribus matrimonii sustentandis necessaria sunt, justum est, ut super hanc rem consulantur, & eorum rationabili voluntati morem gerat filius: proindeque graviter peccat, si non contra obedientiam, saltem contra pietatem, & reverentiam parentibus debitam, si ipsis inconsultis, aut ex justa causa invitatis, matrimonium contrahat. Id etiam insinuat Scriptura Ecclesiastici 7. ubi dicitur de Patre: Trade filiam... & homini sensato da illam; & S. Ambros. cap. Honoratur 32. q. 2. dicens, non esse virginitatis pudoris matrum eligere, sed judicium parentum esse expectandum.

Dixi: Parentibus ex justa causa invitatis, qualis est v. gr.

si matrimonium sit in dedecus familie; si puella sit male indolis, &c. Si enim sine justa causa, & irrationabiliter forent invitati, puta, si contradicant ex odio, ex morositate, vel ex avaritia, quòd nolint dare dotem, vel quia volunt inducere in Religionem, &c. ipsimet graviter peccant, & non peccat filius contrahendo, quia nihil debemus parentibus contrarationem. Hic non inconsultè advertit Auctor modernus, non esse semper justam parentibus causam contradicendi, quòd filius nobilis ducat ignobilem, aut dives pauperem, si aliquid dotes animæ, & spes certa pacificæ conversationis fortunæ damna compenset.

Porro, matrimonia sine parentum consensu contracta esse valida, constat ex Trid. sess. 24. de Ref. c. 12. ubi dicitur: Jure damnandi sunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat... qui falsè affirmant matrimonia, à filiis familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita facere posse. Quibus verbis corrigi, seu revocari aliqua Jura, si quæ fuerint, quæ videbantur irritare talia matrimonia. Sed de hac Quest. latius diu de Matrini.

Ex dictis colliges 1. gravissimi peccati reos esse parentes, qui sive directè metu, vi, fraude, sive indirectè duris cum liberis agendo in victu, vestitu, verbis, signis, &c. eos invitos compellunt ad Religionem, Clericatum, aut Matrimonium; quia contra justitiam agunt violando filiorum libertatem; & eò gravius peccant, quòd graviora mala inde nata sunt sequi; quot enim inde maledictiones, imprecationes, desperationes, impudicitie, sacrilegia, adultèria, &c. quæ filios, & filias in hac vita miseros, in altera miserimos efficiunt? Jure itaque à Trid. sess. 25. de Regular. c. 18. excommunicantur, qui quocumque modo virginem, viduam, aut aliam mulierem invitam ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum, vel ad emittendam professionem cogunt: item hi, qui ad id consilium, favorem, vel auxilium dant, qui vel ingressui, vel susceptioni habitus, vel professioni, presentiam, consensum, vel auctoritatem scientes interponunt. Nota hæc verba, ad ingrediendum Monasterium, vel ad suscipiendum habitum; ex his enim inferunt Navarr. Suarez, & alii, cogentes feminam ad Monasterii ingressum, non ut profiteatur, nec ut habitum suscipiat, sed ut ibi seculari habitu retento educetur, pœnas hic contentas incurrere. Vide Remissiones Gallemart. in hoc caput Lit. E.

Colliges 2. etiam graviter peccare parentes, qui sine justa causa filios, aut filias sive directè ut supra, impediunt, aut retrahunt à statu assumendo. Si enim à Religione, vel Clericatu, non solum peccant contra justitiam violando libertatem filiorum, sed etiam contra charitatem eos retrahendo à meliori bono, & majori Dei obsequio: si à matrimonio, ultra præfatam injustitiam, innumeris peccatis ipsos exponunt. Ubi nota, Conc. Trid. cit. cap. excommunicationi etiam subijcere eos, qui sanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipientis, vel voti emittendæ quoquo modo sine causa impediunt. Dixi: sine justa causa: quia, si subit, non sunt culpandi parentes: v. gr. si noverint filium ob complexionem infirmam, aut pravos mores, aut ignorantiam, & hebetudinem esse Religioni, seu statui Clericali ineptum; si matrimonium cum tali impediunt, quia est pravè indolis, aut infamis, ut jam dixi, relicta tamen libertate cum altera contrahendi. Item non sunt culpandi, quin potius laudandi parentes, qui ad tempus tantum se opponunt voluntati liberorum, ut eorum vocationem, & constantiam probent: caveant tamen, ne diutius hanc probationem protrahant, aut sub prætextu probationis suæ malè voluntati indulgeant.

ARTICULUS IV.

De Inobedientia.

Nota (Quest. 105. art. 1. ad 1.) Inobedientiam non secus, ac obedientiam dupliciter accipi. 1. Materialiter, & latè pro transgressione cujusvis præcepti absquè contemptu; & sic non est speciale peccatum, sed generale quoddam, seu generalis circumstantia omnis peccati. 2. Formaliter, & strictè pro transgressione præcepti, ex ejus, aut præcipientis contemptu, & sic est speciale peccatum formali obedientie oppositum, in Confessione aperendum, quando est mortale. Tunc autem aliquis (Hic q. 186. a. 9. ad 3.) transgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit subijci ordinationi Legis, & ex hoc procedit ad faciendum contra illam; si enim propter aliquam causam particularem, puta concupiscentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra statutum Legis,

gis, non peccat ex contemptu, sed ex aliqua alia causa; etiam si frequenter ex eadem causa, vel alia simili peccatum iteret. Frequentia tamen peccati dispositivè inducit ad contemptum, secundum illud Prov. 18. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

Hæc inobedientia formalis est contra duplex præceptum, scilicet contra præceptum, quod ex contemptu violatur, à quo habet rationem formalis inobedientie; & contra præceptum, quo talis violatio ex contemptu prohibetur, videlicet: *Non contemnas præceptum Superioris; non violabis illud ex contemptu;* & cum istud, ut suppono, non contemnat, ex hac parte est inobedientia materialis. Si quæras, utrum detur etiam præceptum, quo præcipiatur obedientia formalis? Videtur quod non, quia subditus abundè satisficit præcepto, dum opus præceptum facit propter intrinsicam ejus bonitatem, seu ut placeat Deo; *plenitudo enim Legis est dilectio.*

Dico 1. (Q. 105. a. 1. o.) Inobedientia formalis est peccatum mortale ex genere suo; quia contrariatur charitati, per quam spiritualis vita habetur; exigit enim charitas Dei, ut ejus mandatis obtemperemus: in præceptis autem divinis continetur, quod etiam Superioribus obediamus. Contrariatur insuper dilectioni proximi, in quantum Superiori proximo ex intentione subtrahit obedientiam, quam debet. Potest tamen fieri veniale, non solum ex indeliberatione actus, quod est omnibus peccatis commune; sed etiam ex levitate materiae, seu potius ex imperfectione contemptus. Ita post Cajet. Sylvius, Lessius, & alii.

Duplex itaque distingui debet contemptus, perfectus, & imperfectus. Perfectus est, quando quis renuit in toto subijci Superiori, ex quovis contemptu sive præcepti, sive potestatis, sive præcipiens procedat illa perveracità, etiam si præcipientem, non ratione potestatis, sed ob aliam causam contemneret; puta ob defectum scientiæ, prudentiæ, nobilitatis, vel ex ira, odio, &c. Et inobedientia, ex tali contemptu perfecto procedens, etiam in re levi, est semper mortale peccatum; quia, licet res sit levis, intentio tamen, qua directè tendit contra totam Superioritatem, reuens absolutè, & in ulla re ipsi subijci, & propter hoc transgrediens ejus præceptum, importat gravem contemptum, & gravem injuriam. Imperfectus contemptus est, quando quis renuit subijci Superiori in aliqua re tantum, sive gravi, sive levi, paratus ipsi obedire in aliis; etiam ex quovis contemptu sive præcepti, sive præcipiens procedat illa recalcitratio. Inobedientia, ex tali contemptu procedens, si sit in re gravi, est mortalis, quia, licet contemptus sit imperfectus, est tamen gravis ratione materiae: si sit in re levi, est venialis. Excipe, nisi forte Deum ipsum præcipientem, aut ejus præceptum tantquam inutile & vanum contemneret; id enim foret blasphemum.

Quod S. Thom. hic ad 1. dicit, *peccatum veniale non esse inobedientiam*, intelligendum est de inobedientia formali, eaque perfecta, & absoluta, qua quis simpliciter, & absolutè dicitur inobediens. Item, quando addit pro ratione, *peccatum veniale non esse contra præceptum, sed præter præceptum*, eodem sensu accipiendum est, quod non sit contra præceptum perfectè, quatenus non evertit finem præcepti, qui est charitas, & ideo tantum præter præceptum. Item S. Thomam agnovisse peccatum veniale esse contra Legem, notum relinquitur ex hujus partis q. 110. a. 3. & 4. & ex 1. 2. q. 71. a. 6.

Dico 2. (Ibid. a. 2.) Una inobedientia potest esse gravior altera dupliciter: uno modo ex parte præcipiens, altero modo ex parte præceptorum. Ex parte præcipiens: (Ibid.) quia, quamvis omnem curam homo apponere debeat ad hoc, quod cuilibet Superiori obediat, tamen est magis debitum, quod homo obediat Superiori, quam inferiori potestati. Cujus signum est, quod præceptum inferioris præmittitur, si sit præcepto Superioris contrarium. Unde consequens est, quod, quanto Superior est ille, qui præcipit, tanto ei inobedientem esse sit gravior; & sic inobedientem esse Deo, est gravior, quam inobedientem esse homini.

Si dicas, inobedientem homini esse semper inobedientem Deo, quia Deus præcipit obedire homini Superiori: Esto; nihilominus fieri potest, quod, qui contemnit præceptum hominis Superioris, non contemnat illud generale Dei mandatum, ita ut esse possit formalis inobedientia erga hominem Superiorem, & materialis tantum erga Deum.

Ex parte præceptorum: (Ibid.) quia præcipiens non æqualiter vult impleri omnia, quæ mandat, sed magis ea, quæ habent rationem finis, & ea, quæ sunt propinquiora

fini, quando scilicet intentionem suam format secundum rerum proportionem, quod semper facit Deus; quia, cum voluntas ejus per se feratur ad bonum, quanto aliquid est melius, tanto Deus vult illud magis impleri; non sic homo. Undè in præceptis Dei quanto præceptum datur de meliori, tanto est ejus inobedientia gravior. Ubi autem obligamur ex solo hominis præcepto, hoc est, quando cum præcepto Superioris non concurrat speciale Dei mandatum de eadem materia, non est gravior peccatum inobedientie ex eo, quod majus bonum præteritur, sed ex eo, quod præteritur illud, quod est magis de intentione præcipiens. Quapropter non est verum, inobedientiam in re magna semper graviorem, quam in re parva, sed tunc solum, quando præcipiens intendit magis obligare ad rem magnam, quam ad parvam.

Cæterum regulariter præsumitur homo præcipiens magis obligare ad rem magnam, quam ad parvam, nisi constet de contrario. In Religionibus autem usu receptum est, Superiorem non censeri veli strictè, & sub peccato mortali obligare, nisi id exprimat his, aut similibus formulis: *sub præcepto formalis: in virtute Spiritus S. & sancta obedientie.* Id tamen non impedit, quin peccet mortaliter is, qui communi mandato foret inobediens formaliter; & ex perfecto contemptu.

Petes, utrum inobedientia, qua contemnitur præcipiens, gravior sit inobedientia, qua contemnitur præceptum? R. Affirmativè: (Ibid.) quia ex reverentia præcipiens procedere debet reverentia præcepti. Undè peccatum, quod directè pertinet ad contemptum Dei, sicut blasphemia, vel aliquid ejusmodi, gravior est, quam inobedientia formalis, qua contemnat aliquid ejus præceptum sine expresso Dei contemptu.

ARTICULUS V.

Summatim referuntur peccata Filiorum in Parentes, & subditorum in Majores.

EX dictis in præcedent. Articulis constat, filios debere parentibus pietatem, hoc est, honorem, & obsequium, & in necessitate auxilium; adde & amorem; quatenus ut principum nostri esse sunt nobis conjunctiores, & habent rationem majoris boni post Deum: subditos vero debere superioribus observantiam, hoc est, honorem, & obedientiam. Porro parentes ut tales sunt etiam Superiores: unde, sicut Religio est eminenter pietas, ita pietas est eminentè observantia. Hæc omnia continentur his verbis quarti præcepti Decalogi: *Honora Patrem tuum, & Matrem tuam:* nomine *Patris, & Matris* intelligendo parentes, & alios superiores; & nomine *Honoris* intelligendo omnia officia parentibus, & superioribus debita.

Antequam ad particularia descendamus, notandum 1. Odium, malevolentiam, injuriam, contemptum, &c. quæ respectu alterius forent levia, esse gravia respectu parentum; quia strictius eis quam aliis, debemus amorem, cultum, & obsequium. Nota 2. Eos, qui isti peccant in parentes, ut, si idem agendo contra alios peccarent mortaliter, dupliciter peccati mortalis reos esse, nimirum contra justitiam, & pietatem. Nota 3. Filios, aut filias, qui sine justa, & rationabili causa aliquid, licet non ex se malum, faciunt, aut omittunt, ex quo prævident parentes exacerbandos, contristandos, aut in gravem iram concitandos, peccare graviter contra pietatem, amorem, & reverentiam, parentibus stricto Jure naturali, & divino debitam: sic gravis peccati accusatur Esau, quod sine causa accepit uxorem de filiabus Chanam, unde sciebat patrem suum Isaac contristandum. Si tamen sit justa, & rationabilis causa id agendi, vel omittendi, & offensio, seu contristatio parentum ex eorum morositate, melancholia, malevolentia, mallitia, &c. irrationabiliter oritur, non peccant filii, aut filie illud agendo, vel omittendo. Sic non peccavit Jonathan, Davidem impensè diligendo, licet id ægerimè ferret pater ipsius Saul. His notatis.

Contra amorem Parentibus debitum.

1. Peccant graviter filii, dum eos interius odio, contemptu, indignatione prosequuntur; dum de eorum adversis gaudent, de prosperis dolent, malum eis exoptant, puta mortem, licet non ut malum parentum, sed ut bonum proprium. Undè damnata est ab Innoc. XI. hæc propositio: *Licetum est absoluto desiderio capere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis; quia nimirum ei obventura est gravis hæ-*

hereditas. 2. Graviter peccant filii, dum parentes exterius affligunt, & molestant verbis duris, aspectu torvo, gestu contemptivo, subsannatione, irrisione, injuriis, contumeliis, maledictis, verbis, &c. Undè Exod. 21. *Qui maledixerit Patri suo, vel Matri, morte morietur.* 3. Quando malum, sive temporale, sive spirituale, ab eis pro posse non avertunt, ut dicam fuis infra. Intellige semel pro semper, filios peccare mortaliter in his & sequentibus, quando & deliberatè agunt, & materia est notabilis.

Contra reverentiam Parentibus debitam.

Peccant filii verbis, signis, factis, & defectu. 1. Verbis; dum illos duris, asperis, inurbanis, injuriis, contumeliosis, maledictis, aut exprobrantibus verbis afficiunt, sive in absentia, sive, quod pejus est, in presentia. Hæc enim, & quæ num. 2. & 3. sequuntur, quamvis sit contra amorem, quatenus internum odium & contemptum adjuvant habent & manifestant; quatenus tamen exterius exhibentur, sunt etiam contra reverentiam parentibus debitam. 2. Signis; dum risibus, subsannationibus, gestulationibus, simulatis eorum actibus, illis sive presentibus, sive absentibus illudunt. 3. Factis; ut si parentes percutiant etiam leviter, imò etsi tantum manum, aut instrumentum ad peccandum levant; id enim graviter reverentiam paternam adversatur. Item, si e domo, e societate repellant. Item, si accuset, aut testentur contra parentes in judicio, sive civili, sive criminali, nisi ad avertendum malum commune, aut divinum; commune, ut si pater conspiraret contra Regem, aut Patriam; divinum, ut si pater disseminaret hæresim & alios corrumpere: quia bonum commune, aut divinum est præferendum bono privato, etsi paterno: vel etiam nisi pater alimenta filio injustè denegaret.

4. Defectu, si juxta morem Patrie consueta reverentia paternæ signa non exhibeant, ut si colloqui, salutare, conversari, assurgere, caput aperire, locum cedere, certis temporibus bonè precari detrectent. Item, si eos agnoscere recusent, nisi forte ex agnitione sequatur filio grave damnum, sive in vita, sive in bonis fortunæ, sive in honore, puta, si Pater esset publico supplicio affectus, si gravissimis criminis v. gr. hæresis, proditoris, &c. reus esset: in his, inquam, & similibus casibus non videtur damnandus filius, qui absque ullo interiori contemptu Parentes dissimulare.

Contra obedientiam Parentibus debitam.

Peccant filii non obedientes Parentibus, seriè & strictè præcipientibus in rebus ad curam paternam spectantibus; nimirum 1. in his, quæ spectant bonos mores & salutem, ut si Pater prohibeat ebrietates, scortationes, conversationes malas, aut periculosas, popinas, loca scandalosa, ludos prohibitos, &c. aut præcipiat frequentationem Sacramentorum, Cathecismi, Concionis, ut orent mane & vespere, &c. 2. In his, quæ spectant disciplinam domesticam, v. gr. quod filius de rebus domesticis nihil destruat, aut alienet; quod vespere non vagetur; quod certo tempore domum redeat; quod talem personam in domum non inducat, &c. In his, inquam, & similibus peccant filii mortaliter, vel venialiter pro gravitate, vel levitate materiae. Itaque quod, si transgressio præcepti, vel prohibitionis sit jam aliunde mortalis, ut ebrietas, v. gr. erit duplex peccatum, nimirum intemperantiæ & inobedientiæ formalis, si nempè sit ex contemptu; secus, erit quidem inobedientia materialis, sed irreverentia formalis.

Porro censetur materia gravis respectu obedientie, quando independentè a præcepto, vel prohibitione foret jam peccatum mortale facere, vel omittere. Item, quando graviter conducit ad prava mores, ut sapius iterata frequentatio popinae, aut lusus prohibitus; vel valde abducit a salute & bonis moribus, ut notabilis negligentia in frequentandis Sacramentis, Concionibus, aut Cathecismis.

Dixi 1. Parentibus, strictè & seriè præcipientibus; quia agere contra monitiones, & directiones ordinarias Parentum, etsi aliquando sit peccatum, quando scilicet res aliunde debet fieri, vel omitti; non erit tamen peccatum inobedientiæ.

Dixi 2. In his, in quibus filii subsunt Parentibus; quæ sunt duo assignata, nimirum quæ spectant bonos mores & disciplinam domesticam. In aliis enim, quæ vel sunt contra mandatum Superioris, vel ad quæ non se extendit potestas paterna, non subjiciuntur nec tenentur obedire filii. Undè filius non tenetur obedire Patri præcipienti Theol. Billuart. Secunda Secundæ.

ti fraudes in contractibus, rixas, duella, &c. Nec filia Matri præcipienti frequentationem chorearum, spectaculorum, conversationes periculosas, matrimonium cum viro impio. Quid autem filii & filia debeant Parentibus in eligendo statu, & quomodo in hoc peccent, diximus suprâ a. 7. require ibi.

Contra subventionem debitam Parentibus.

Peccant filii 1. Dum non subveniunt parentibus in necessitate spirituali, v. gr. si negligant in periculo mortis eis providere de Confessario & Sacramentis necessariis; si eos a testamento condendo, a piis legatis, aliisve disponendis pro salute animæ suæ sine justa causa impediunt; si legata, aliave opera pia testamento ordinata, non dico omittunt, sed etiam quam primum fieri potest, non implent. Hæc enim dilatio sæpè defunctis Purgatorii penas lucentibus est damnosa. Item, si Parentes, aliena detinentes, aut rapientes, curam salutis negligentes, certis vitis gravibus addictos, modeste & reverenter admonere per se, vel per alios non curent.

2. Dum non subveniunt Parentibus in necessitate corporali; ut si incarceratos liberare non sargant, si infirmos non visitent, non consolentur, curationem pro posse non procurent; si injustè vexatos non defendant; si graviter, etsi non extremè, indigentibus necessaria ad victum & amicum pro facultate sua non subministrant; si prætextu Religionis ingrediende illos in tali necessitate deserant, ut latius dixi art. 1. de Pietate concl. 3.

Circa Sanguine junctos.

ET quia, ut constat ex dictis art. 1. Pietas non solum respicit Parentes, qui nos immediatè genuerunt secundum carnem; sed etiam secundario omnes sanguine junctos, quatenus parentes nobis representant; hinc peccant contra Pietatem, qui eis denegant amorem; reverentiam, & in necessitate subventionem; plus tamen, vel minus, secundum quod plius, vel minus accedunt ad Parentes. Quapropter, qui odio, malevolentia, injuriis, contumeliis, verbis afficit avum, proavum, patruum, amitam, fratrem, sororem, & probabiliter consanguineos collaterales in secundo gradu, eisque in necessitate non subveniunt (idem videtur dicendum de affinis), debent hanc circumstantiam parentelæ explicare in confessione, quando offensiva est mortalis; quia novam speciem malitiæ, nimirum contra pietatem ætui superaddit. Item dicendum de his, qui inobedientes sunt avis & proavis in re gravi, quia etiam debent eis ex pietate obediant.

Dixi: *Probabiliter alios consanguineos in 2. gradie* quia usque ad hunc gradum inclusivè videtur Pietas graviter obligare; erga remotiores vero leviter. Undè respectivè ad istos est tantum culpa venialis, contra Pietatem. Sicut, qui injuria afficeret concivem, quamvis peccaret contra pietatem, & ideo hæc circumstantia foret mutans speciem, quia tamen est levis ex parte obligatio erga concivem, foret ex illa parte culpa venialis tantum, non explicanda necessariò in Confessione.

Contra Superiores, seu Majores.

Superiores, quos respicit observantia, sunt 1. Reges, Principes, Gubernatores, Duces, Magistratus, & similes, qui jure aliis præcipiuntur in ordine ad bonum publicum. 2. Tutores & Curatores, qui juri & loco parentum succedunt quoad educationem minorum & pupillorum, & honorum illorum administrationem. 3. Qui dicuntur Patres spirituales, Episcopi, Pastores, & Patrimi. 4. Magistri. 5. Heri. 6. Maritus respectu uxoris, & uxor respectu mariti quantum ad debitum conjugale. Adde & senes. His ergo omnibus inferiores, seu subditi debeant ex virtute observantiæ honorem & obedientiam, non in omnibus quidem, sed in his, ad quæ eorum potestas & officium se extendunt, ut dictum est; adeo ut peccent contra Superiores eo proportionali modo, quo dixi filios peccare contra parentes, eos odio, contemptu, injuriis, subsannationibus, verbis, &c. afficiendo, & his inobediendo intra limites suæ potestatis. Et si peccatum sit mortale, debet hæc circumstantia superioritatis exprimi in confessione; quia est speciale peccatum contra observantiam.

ARTICULUS VI.

De obligationibus & peccatis Parentum erga filios, & Superiorum erga inferiores.

Quia obligationes Parentum & Superiorum correlative sunt ad obligationes filiorum & inferiorum, naturalis ordo postulat, ut, his discussis, illas expendamus.

§. I. De Parentibus.

Dico 1. Generaliter loquendo parentes debent filiis amorem & educationem, tam temporalem, quam spirituales. Quamvis ad amorem & educationem temporalem id ipsa natura dicitur & clamat, ut patet in ipsis brutis, quae suos fetus diligunt & nutriunt. Et quia homo est ad finem supernaturalem elevatus, ipsis etiam incumbit educatio spiritualis. Porro educatio corporalis importat providentiam vitae, victus, & status. Educatio spiritualis instructionem, exemplum, & correptionem. Ad haec tenentur parentes erga proles ex iustitia. Unde, si eorum defectus in hac materia sint aliunde peccaminosi, committunt duplex peccatum in confessione aperiendum, quando est mortale, ut si pater maledicat filio, aut coram eo blasphemet, &c. Ad quod attendere debent poenitentes, & Confessarii. Hinc

Contra amorem debitum filiis.

Peccant parentes, qui filios suos, aut filias odio, malevolentia, quovis pravo affectu persequuntur; qui domo eos eieciunt, eorum aspectum non ferunt, imprecationibus ex animo obruant, verberibus sine causa affligunt; qui, dum unum affectum impendunt, alios ad adulteros, aut extraneos despiciunt, &c. Non sunt tamen condemnandi parentes, qui, filiis ob culpam gravem correptionis causa & ad tempus indignationem restantur, alioqui recusant, domus ingressum prohibent, exemplo Davidis erga Absalonem.

Contra educationem temporalem.

Peccant 1. matres, mortaliter, vel venialiter pro qualitate materiae, quae foetu concepto noxia edunt, aut bibunt, saltant, currunt, immoderate laborant, onera portant, aut levant. 2. Quae tempore lactationis se non observant, prolem in eodem lecto secum collocant cum periculo suffocationis, quae non raro accidit. Item, quae alieno lacte nutrant sine causa; ubi enim causa adest, non peccant; ubi deest, peccant venialiter.

3. Peccant graviter patres, qui uxores praegnantem inhumanè tractant, exasperant, percipiunt in grave damnum foetus. 4. Peccant, saltem venialiter, patres & matres, qui tempore purificationis, aut menstrui impuris vacant commixtionibus, ex quibus saepe nascuntur proles monstruosae, gibbosae, difformes, infirmae. 5. Peccant parentes, qui prolihus, in necessitate constituti, aut nondum per aetatem sibi sufficientibus, non ministrant necessaria ad victum & amictum juxta suum statum; qui non curant, ut discant scientiam, artem, officium, quo honestè vivant; qui volentibus assumere statum decentem & sibi convenientem non succurrunt, aut, quod pejus est, impediunt, ut dictum est supra: qui, cum in futurum mediis legitimis thesaurizare deberent filiis, omnia dilapidant & absument commensationibus, computationibus, lusuibus, prodigalitatibus, &c. prolesque miseras relinquunt; qui absque urgente necessitate proles exponunt in Templis, viis publicis, Xenodochiis: quo casu tenentur resarcire damna illata Magistratibus, aut verè pauperibus; nisi forte ex opulentia Xenodochii jure praesumat Fundatores intendisse ejusvis generis hominibus providere.

Contra educationem spirituales.

Peccant 1. parentes, qui per se, vel per alios non instruant filios in omnibus necessariis ad salutem, nimirum in rebus Fidei, Sacramentorum, Mandatorum Dei, & Ecclesiae, & qui eos honestis & Christianis moribus imbuerent, eorum vitia & malas propensiones extirpare, a malis consuetudinibus avocare non satagunt; qui eos spiritualibus exercitiis divini Officii, Catechismi, Concionis, Sacramentorum, &c. addicere non curant; qui, quod potissimum est, ad odia, inimicitias, rixas, duella, impud-

icitias, usuras, furta, rapinas, & similia, consiliis, hortationibus, consensu, approbatione, justissime inducunt. 2. Qui scandalose coram prolihus jurant, blasphemant, impudicè agunt, aut loquuntur; qui injurias, imprecationibus uxores, proles, domesticos afficiunt; qui notorii vitii, ebrietatibus, impudiciis, uxoris, &c. sunt addicti; qui de pietate & rebus sacris impie subsannant; qui raro Ecclesiam, Sacramenta, Conciones frequentant: efficacius enim movent exempla, quam verba. 3. Qui nunquam, aut raro, aut indulgentius quam par est, filios corripiunt, saepe contenti verbis, dum adhibenda forent verbera. Et e contra, qui morosi & impatieates, qui continuo & in omnibus filios reprehendant, lacessunt, clamant & in omnibus filios reprehendant, lacessunt, clamant, obmurmurant; qui severius, quam par est, aut ex impetu irae potius, quam charitatis impulsu, corripiunt, nec emendatis placari nolunt; ex quibus contingit filios in iracundiam & indignationem adversus parentes incitari, & aliquando in desperationem, aut pusillanimitatem incidere, juxta illud Apost. ad Col. 3. *Parentes nolite ad indignationem provocare filios vestros, ut non pusillo animo fiant.* Petes, quid filiis legitimis debeant parentes? Not. Filii illegitimi, hoc est, extra matrimonium legitimum nati, alii sunt naturales, alii spurii. Naturales sunt, qui nascuntur ex personis habilibus ad contrahendum inter se matrimonium: spurii sunt, qui nascuntur ex personis inhabilibus ad contrahendum inter se matrimonium, ut ex incestuosis, adulteris, sacrilegis. Id tamen indiget aliqua explicatione, pro qua vide Dissert. 2. de Contractibus Art. 3. §. 6. *Haec ex testamento. R. 1.* Certò constat, Parentes debere filiis illegitimis, sive naturalibus, sive spuris, amorem & educationem spirituales, non secus ac legitimis; utrorumque enim sunt aequè parentes. Eadem ratione constat, debere filiis naturalibus educationem corporalem: solum est dubium, an hanc etiam debeant filiis spuris, propter quaedam Jura, quae videntur id prohibere: sed dicendum, haec Jura, vel Jure Canonico esse correctæ, vel valere dimittat pro foro exteriori; alioquin injuria viderentur, utpotè contraria Juri naturæ. Exigit enim Jura naturæ, ut parentes necessaria vitae, victus, & amictui provideant prolihus, quomodo a se fuerint genitæ. Præter hæc tamen nihil possunt parentes filiis spuris dare causa mortis, Jure id prohibente; quod possunt filiis naturalibus, deficiente prole legitima. Vide Diss. cit. R. 2. Mater debet prolem, sive naturalem, sive spuriam, lacte alere usque ad triennium completum (non solebant olim infantes ante triennium abiacuari Gloss. in L. *Nec filium* mox citand.) ad exterius expensas tenetur pater, sicut & ad alimenta post triennium, usquequò ipsa proles possit sibi providere, C. *Nec filium* C. *De Patria potestate* l. 8. tit. 47.

Quòd si mater lacte careat, aut non lactandi justam causam habeat, etiam ad lactationis expensas tenetur pater, ipso deficiente, aut victum. Similiter deficiente patre in praebendis necessariis ad matrem & amictum post triennium, tenetur mater; poterit tamen has omnes expensas repetere a patre vivente, vel a tutore existente, vel etiam a filio aliqua bona possidente, modè se facere animo ea repetendi protestata sit; alias reputabitur amore filii gratis fecisse L. *Nesemius* 34. ff. *De negotiis gestis* libr. 3. tit. 5. Non potest tamen repetere mercedem laboris in alendo filio impensis; quia id non videtur rationale, nec amori materno congruum. Hic inferes, quòd, si pater sit Beneficiarius, nec habeat bona patrimonialia, possit & debeat ex redditibus beneficii prolihs necessitatibus subvenire; si enim in eis possit, & debeat succurrere pauperibus; a fortiori propriae proli. Nec obstat Constitutio Pii V. quae videtur id prohibere erga spurios; intelligenda est enim, quando aliter potest illis subveniri. Idem cense de patre Religioso, qui habet liberam quorundam bonorum administrationem; secus de aliis; impunit enim sibi stulta mulier, quae consentit illi, quem sciebat nec eam ducere, nec prolem alere posse.

Dico 2. Tutores & Curatores debent pupillis & minoribus curam in temporalibus & spiritualibus, sic nimirum ut eorum bona fideliter administrant, & eorum educationem spirituales procurent, non secus ac ipsi parentes, quia auctoritate publica eorum officio succedunt. Unde peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem, si pupillorum, aut minorum bona dilapidant, si usurpent, si sua culpa pereant, si non augeant, cum possunt. Item peccant mortaliter, si notabiliter negligant eorum instructionem & correptionem, si malis exemplis, aut verbis ad vitia provocent.

§. II.

§. II. De Superioribus.

Dico 1. Superiores temporales, quales sunt Reges, Principes, Toparchæ, Magistratus, & similes, debent subditis administrationem justitiae, tam commutativæ, quam vindictivæ, polliciam, honorum, boni communis & tranquillitatis publicæ conservationem, propagationem, & defensionem: ad hæc enim instituuntur, & in hunc finem bona & subsidia ipsis conferuntur, & in hunc finem sed ut populis possint. Hinc graviter peccant, qui justitiam ignaros, aut corruptos constituunt; qui populum tribuit, impositionibus ultra modum multiplicatis gravant; qui ia oneribus, aut favoribus distribuendis justitiam distributivam non servant; qui homicidia, duella, furta, usuras, blasphemias, perjurias, incestus, adulteria, & similia crimina bono communi noxia tolerant, aut non puniunt: qui meretricios, lupanarias, spectacula lasciva, aut impia, jurgia, computationes tempore indelicti in popinis, in quantum possunt, non impediunt; qui pauperes, viduas, & pupillos legitime veratos non defendunt; qui securitati vicinorum publicarum non invigilant. Tandem, qui licentiosè vivendo populis sunt scandalo, ut enim fert tritum adagium: *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* In his, inquam, & similibus peccant contra justitiam, quia ad hæc tenentur ex officio.

Dico 2. Superiores spirituales, quales sunt Episcopi & Pastores, debent subditis educationem spirituales, scilicet instructionem, bonum exemplum, & correptionem; quia sunt eorum Pastores & Patres spirituales. Item & orationum suffragia; quia sunt mediatores inter Deum & homines, juxta Apost. ad Hebr. 5. Hinc graviter peccant animarum rectores etiam contra justitiam, qui absque sufficienti capacitate onus Pastorate suscipiunt; qui gravibus sunt suis ovibus scandalo; qui ad turpia provocant; qui catechismum, aut conciones negligunt; aut habent quidem, sed quæ captum & intelligentiam audientium superant; qui Hæreticos, si quos sibi subditos habeant, & peccatores, maxime publicos, ut concubinarum, usurarios, blasphemos, ebriosos, & ad meliorem frugem reducere non satagunt, sive privati, sive publicis instructionibus, adhortationibus, obsecrationibus, correctionibus, & tandem censuris, si opus fuerit; qui Parochianorum Confessiones nisi tempore Paschali audire recusant; quamvis enim Parochiani ad Confessionem non nisi semel in anno sint adstricti, Parochi tamen tenentur eos audire toties quoties rationabiliter petunt, nisi iusto impedimento detineantur; qui visitandis, intruendis, admonendis, administrandis Sacramentis infirmis sunt notabiliter negligentes, qui nunquam, aut raro pro Parochianis orant, seu Sacrificium offerunt.

Dico 3. Patrum filiis spiritualibus, heri famulis & ancillis, præceptores discipulis debent etiam ex officio educationem spirituales, nimirum instructionem, bonum exemplum, & correptionem: quia patrum sunt patres spirituales; & heri, aut præceptores tenent locum Patris quoad educationem spirituales servorum & discipulorum. Hinc peccant contra justitiam Patrum, qui deficientibus parentibus & Parochis, filios spirituales rerum fidei ignaros non instruunt, vitam disolutam agentes non corripiunt, aut ipsis sunt malo exemplo. Raro tamen urget graviter hæc obligatio instruendi & corripiendi inter Catholicos propter curam Parentum, Parochorum, & præceptorum.

Similiter peccant contra justitiam Magistri, qui scholam, catechismum, aut, ea, quæ bonos mores spectant, negligunt; qui falsa & scandalosa docent; qui correptionem negligunt, aut indiscretè puniunt; qui dissolutè vivunt in scandalum discipulorum.

Similiter iterum contra justitiam peccant heri, qui sedulo non invigilant, ut domesticæ fidei rudimenta saltèr ecclesiam, & Sacramenta frequentent, manè & vespere orent, diebus Dominicis & Festis Officiis, Missæ præsertim, intersint, periculosa consortia non frequentent, pie & christianè vivant; qui delinquentes non corripiunt, aut inhumanè tractant, eos quandoquæ ut canes potius, quam ut homines tractando. Tandem, qui ipsis malum exemplum præbent. Unde Apost. 1. ad Tim. 5. *Si quis suorum maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior.*

Insuper heri debent ex contractu domesticis suis compensationem pro laboribus. Unde peccant juxta materiae conditionem, qui pactam mercedem, aut denegant, aut miuunt, aut differunt; qui necessaria ad victum recusant; qui infra infimum pretium conducunt, aut nulla previa conventionè volunt; qui infirmos negligunt, aut expellunt: non

tamen tenentur ex iustitia ad expensas pro Medico, Chirurgico, Pharmacopola, & custodibus, neque ad mercedem temporè infirmitatis. Nequè probabilis ad alimenta, nisi ut dixi ex charitate. Vide de Locatione art. 1. Diss. 6. de Contract.

Dico 4. Ex quadam observantia conjuges debent sibi invicem amor, quia sunt una caro; & honorem, quia vir est caput mulieris, & mulier est sociâ, non ancilla viri. Hinc graviter peccant conjuges, qui odio, contemptu, injuriis, maledictionibus, contumeliis, imprecationibus, rixis se lacessunt. Item vir, qui graviter & sine causa uxorem percussit; nam ex justa causa moderate ad emendationem percutere, culpa vacat. Similiter mulier, quæ virum suum inhorat, irridit, invincibili contumacia, injuriis, exprobrationibus intempestivis ad blasphemias, iracundiam, &c. provocat; & quod enormius est, si percussit. Hinc perit Zelotypia infirmitatem malorum oris. Quot enim inde jurgia, rixæ, odia, imprecationes, familie turbationes, &c. Unde huic passioni extirpandæ sedulo adlaborare debent conjuges.

2. Sibi debent conjuges cohabitationem quoad domum, mensam, & thoram: ut enim dicit Christus Matth. 5. *Qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mechari.* Et Apost. ad Eph. 5. *Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adheret uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Hinc peccat graviter maritus, qui diu abest ab uxore absque ejus consensu, aut causa legitima, qualis est v. gr. mandatum Regis, utilitas Reipubl. familie necessitas. Similiter peccat uxor, quæ maritum alio commigrante comitari renuit, nisi grave damnum corporale, aut spirituale inde ipsi imminet, aut nisi maritus absque gravi necessitate ad remotissimas partes, punitas ad Indias, discedat, aut tandem nisi de loco non mutando pactum fuisset in contractu matrimoniali.

3. Sibi debent conjuges debitum conjugale; conjuguntur enim, ut eo mediante multiplicetur genus humanum. Unde graviter peccat compar, & multorum peccatorum occasio præbet, quæ comparti rationabiliter petenti illud denegat, nisi infirmitas, periculum abortus, aut quid simile excuset. Sed de hoc latius, dum de Matr. mon.

4. Necessaria ad vitam & statum sibi debent conjuges. Id quidem primario & per se competit marito, juxta illud Apost. ad Ephes. 5. *Qui suam uxorem diligit, seipsum diligit. Nemo enim inquam carnem suam odio habuit: sed nutrit & fovet eam.* Et ratio est; quia vir est caput mulieris & familie, cujus cura ipsi incumbit, ut modo dicam. Per accidens tamen ad id etiam tenetur uxor, ut si maritus indigeat, & non possit sibi procurare necessaria, utpotè, vel infirmus, vel incarceratus, licet sua culpa; id enim exigit vinculum conjugale. Unde peccant graviter & sæpè mariti, qui omnia in commensationibus, computationibus, & ludo dissipant, dum uxor & proles fame languescunt, & nudæ incedunt.

Petes, utrum vir debeat necessaria ad victum & statum uxori, quæ non attulit dotem? R. 1. Teneri, si sciens & volens accepit uxorem, aut impotentem, aut expressè nolentem dare dotem; sibi enim imputet. R. 2. Si uxorem potentem, nempe divitem, duxerit, nulla facta mentione dotis, non tenetur, nisi uxor conferat dotem; quia tunc tacite convenitur de dote constituenda, cum talis contractus id regulariter exigit. Intellige tamen modò ipsamet uxor sit dives, & non solum pater ejus. R. 3. Si pater promiserit dotem, & non solvat cum possit: item, si uxor sine justa causa (qualis foret gravis excessus mariti in eam, aut moribus contagiosus, aut quid simile) discedat a marito. Item, si ipsa collatam dotem inscio marito consumat, aut ejus culpa pereat: censent Auctores, in his casibus virum non teneri ad subministrandum uxori necessaria ad victum & statum. Excipe, nisi aliis deficientibus pateret gravem necessitatem; in tali enim angustia suadent & exigunt auxilium amor & vinculum conjugale.

5. Tandem debet specialiter vir uxori curam & gubernationem in his, quæ spectant salutem & rei domesticæ administrationem; & uxor ex sua parte debet in his obedientiam marito; quia vir est caput mulieris & familie. Unde illud 1. Petri 3. *Mulieres subdita sint viris suis.* Hinc peccat graviter vir, qui uxorem licentiosè viventem non corripiat, aut christianè viventem vexat. Sicut peccat mulier, quæ in his, quæ spectant salutem & rei domesticæ curam, viro inobediens existit.